2683 1 12

Celeberrimo Viro

D. D. Io. Gottl. GLEDITSCH

Professori Botan. Berolinensi

S. P. D.

Ioann. Scopoli.

O inauditum benevolentiae et amoris exemplum! Tu, ignoti et immerenti Homini procuras honores, divitias! Quid rependam pro tanta charitate? Hoc unum opto, ut miserrimum hunc locum relinquere possim, cui me damnavit, et damnat malevolus, ac studiis meis iniquus L. Baro van-Swieten. Rogavi, sudavi, ~~sed frustra~~ ut a barbara Fossorum societate eripi queam, sed incassum. Iam vero cum offeras occasionem tyrannicum hoc iugum excutiendi, eam avidus arripio; cum vero oporteat deserere Uxorem et Filios, ac tam longi itineris taedia sustinere, sic obsecro, ut prius me reddas certiorem.

1. Quale salarium annuum habuerit Cl. Lehmannus.
2. An sumptibus Aulae Petropolitanae iter susceperit.
3. An illi habitatio ab Aula fuerit assignata.
4. An visitaverit subinde Fodinas, et quali Dietae pecunia.

5. An solam Chymiam metallurgicam docuerit, ~~an~~ an vero etiam Chymiam Physicam et Pharmaceuticam.

6. Qualis caracter status (Rang) ei fuerit assignatus.

7. An liberum cuique concedatur exercitium electa Religionis.

Quamprimum ad haec quaesita responsa obtinuero, statim dicam quibus ego conditionibus opus habeam, ut Petropolim me transferre queam.

Litterae Tuae conscriptae 4ta Februarij, 8va Martij ad me venerunt, ne ergo detineantur res tanti momenti, quaeso dirigas litteras ad me dandas L. Bar. de Born. Pragae degenti, vel et Lipsiam D. Schreber, qui cum Do de Born correspondes est, ut statim ad me mittantur.

Sequenti hebdoma mittam Cl. Schrebero gramina et Calamarias meas, una cum tribus Annis meis Historico-Naturalibus, in quibus observationes variae ad Historiam Naturalem, Historiam Medicam,

2683.

Chymiam, et Agriculturam pertinentes, legi poterunt. Flora mea Carniolica 2:da tanto sudore elaborata mihi cordi est, ut una tabulis aeneis circiter 55, in folio prodeat in lucem. Scripsi hanc ob causam Hartknochio, scripsi et Cl. Schrebero, sed nihil adhuc scio. Forte prodibit Lipsiae, qua occasione Te amplecti licebit, et Tibi eam ostendere. Interim Vale Vir Optime et Celeberrime, meque ut facis, amare perge

Dab. Idriae 14 Martij 1764

in[...]ere
[...]

A Monsieur. 33

Mons. Jo. Gleditsch Profeſseur

en Botanique tres celebre

à

7

Cito-citissime. Berlin

2V